

nec minor est victoria, hostem tolerare, quam vincere. *SENEC., de Confid. ad Polyb.* Melior est conditio patientis injuste, quam agentis. *IBID.*

Sapientiæ comes patientia. *EPICETUS.*
 Si veram cupias addiscere Philosophiam, plurima sustineas, pluribus abstineas.
 Patientia vincit omnia.

AUCTORES.

Nicolas Lancizius, *Opusc. IX, toto, et Opusc. III, a c. v. usque ad VIII.*

Franciscus Arrius, t. II, tr. IX.

Antonius Gaudier, *de Natura Perf.*, p. II, c. III; p. IV, c. XXI.

Jeremias Drexelius, in *Gymnasio Patientia.* *IDEM, in Rosis, p. III, c. v.*

Alphonsus Rodriguez, p. I, tr. VIII, a cap. XVI usque ad XXX.

Eusebius Nierembergii, in *Doctrinis Asceticis*, lib. VI, doct. VII. *IDEM, de Adoratione in spiritu et veritate*, l. I, c. XV, XVIII, et l. II, c. VII et XI.

Petrus Sanchez, in *Regno Dei*, p. VI, c. VIII.

Hadrianus Lyraeus, in *Apophtegmatis S. Ignatii*, apoph. VIII.

Bernardinus Rosignolius, *de Discipul.*, l. IV, c. XXXI et *Actibus virtutum*, l. II, c. XII.

Lucas Pinellus, l. III, *de Perfect.*, c. v.
 Josephus Mansi, *Bibl. mor.*, tract. LXVIII.
 Jacobus Corenus, in *Clypeo patientiæ.*

PAUPERTAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua moderamur appetitum possidendi res naturales, et solis necessariis secundum rationem status contenti sumus. *JAC. ALV., t. II, l. III, p. II, c. IX, § 11.* Vel, est omnium rerum temporalium, ob amorem Dei et desiderium perfectionis, voluntaria abdicatio; *IDEM, l. V, p. I, c. 1;* ita, ut, quemadmodum S. P. Ignatius dicere solebat: Instar statuæ se gerens,

nec resistat, nec recuset, quo minus omniquamvis pretioso amictu et ornatu confestim exuatur. *S. IAN., l. II, de bono.* Vel, ut Theologi, teste Hieronymo Plato explicant, iumentum instar, utatur quidem stabulo, frumento, feno, legumentis, non tamen hæc possideat sed potius possideatur ab alio. Quo modo Cassianus Monachos suæ etatis constitutos fuisse dicebat, ut ne verbo quidem quispiam auderet suum aliquid dicere, magnumque esset crimen, ex ore Monachi processisse: Codicem meum, tabulas meas, tunicam meam. *STAT. RELIG., c. III, l. V, c. XV.*

DIVISIO. — Dividitur in tres species, teste Laurentio Beyrlin. Prima est eorum, qui incidentem pauperatatem propter Deum suscipiunt, eamque divitiis spe regni præferunt. Secunda eorum, qui facultates multas ita possident, ut tamen parati sint, eas, quodcumque ratio pietatis exigerit, abjicere, vel dimittere. Tertia eorum, qui sponte propter Christum omnia sua reliquerunt; et hæc iterum in duas classes subdividitur, illam scilicet qua nihil omnino nec communiter, nec privatim possident, qualem S. Franciscus, et plures alii ejus exemplo permoti, tenent; alteram, qua in commune tantum necessarii reditus possidentur, qua forma, inquit Platus, veteres omnes Patres usos esse constat, ut SS. Bernardus, Brunonem, Basilium, Benedictum, quorum postremus hic tam amplas in suis Monasteriis facultates possidebat, teste Trithemio, ut si omnes ei mansissent, tertiam Orbis partem possessurus fuisset. *L. VI, fol. 143.*

ACTUS. — *Paupertatis religiosa.* « Nihil accipere aut dare sine facultate: » Quia Religioso nihil penitus juris in temporalia aut eorum usum remanet; nec quidquam definite debetur, sed solum necessaria indeterminate, hoc est, ad arbitrium Superioris. Hinc teste Hugone Rott, antiquum est verbum: Quidquid Regularis acquirit, non sibi sed ordine seu monasterio acquirit, et quidquid eidem a Præsibus porrigitur, gratuitum est donum, non debitum. *In Vita reg., p. I.*

« Nulla re tanquam propria, aut sine facultate uti: » cum Religiosus pauperatatem professus perinde nullius rei habeat dominium, ac peregrinus in hospitio divertens, cui utique nihil usurpare licet, sine generali vel particulari cautione aut hospitii facultate.

« Nihil superfluum retinere: » melius est enim, teste S. Augustino, minus egere, quam plus habere. *S. AUGUST., ap LANZ., opus. I, n. 122, p. III.* Et, ut bene P. Hugo Rott advertit, superfluum congeries, et provisionum apparatus insitorem indicant, similem ei, qui quadragesimalium copia, ad comedendum, non ad jejunandum instructus est. *Vita reg., c. XXVII, s. IV, n. 4.*

« Vilissima in iis, quæ ad usum conceduntur eligere: » Certe S. Franciscus dictare solebat, spiritum mortui signum esse perspicuum, si quis curiosa multa, eaque non necessaria apud se habeat; qua enim alia re, inquit Rodriguez, spiritus tepidus et in quo gratiæ vigor elanguerit, operiri, foveverique queat, quam in genus titivillitatis, rebusque nihili? Ad has videlicet, ubi palatum ad spirituales exundatum est, supte nutu deflectitur. *P. II, tr. III, c. VIII.*

« Etiam necessariorum carentiam æquo animo supportare: » nam ut recte P. Baltassar Alvarez dicere solebat, nemo sibi de illustrationibus sensus, et spiritualibus consolationibus blandiatur, nisi hilari vultu hunc botum Evangelicæ paupertatis deglutiatur. Tunc autem deprehendet, an illum amet, si ejus etiam comites diligat, famem, sitim, frigus, ac contemptum. Qui enim in vestibus querit honorem, ne vilis habeatur, non diligit pauperatatem; qui, dum sitit, non potest sitim aliquandiu perferre, is non studet paupertati; qui nihil vult sibi deesse et tamen vult Religiosus haberi, decipitur. *Vita, c. v.* Porro necessariorum nomine, ut bene advertit P. Hugo Rott, non illa intelliguntur, quæ ad hoc solum appetuntur, et usurpantur, ut commodius quis jucundius, celerius, plenius officio suo vel indigentia per eam consulat (hanc enim necessitatem fictam ait appellari) sed ea, sine quibus cum omni industria vincere impedimenta operis aut valetudinis non possit. Certe parum digne, inquit idem, pauperatatem Christi Regularis imitatur, qui, leviori ciborum, librorum, instrumentorum, ac reliquæ suppellectilis apparatu contentus vivere nescit. *P. III, Vita, reg. XVII, s. IV, fol. 578.* Hinc recte S. Albertus Magnus ex hac carentia perfectionem paupertatis colligi debere existimavit, dum dixit: Vera et perfecta paupertas est, omnia propter Deum sponte et libenter dimittere, nihil præter solum necessitatem possidere, eadem necessitate indignum se sentire, et etiam ipsa

necessitate quandoque propter Deum carere. Ubi enim est plena necessitas, perpendi non potest paupertas. *S. ALBER., in Para. ani., c. V.*

« Libenter suo tempore, ea quæ necessaria sunt, vel a Superioribus, vel ab Officialibus, vel ab externis mendicare: » hic enim est proprius effectus paupertatis, nec ipsum etiam usum nisi ex aliorum arbitrio et facultate, arrogantis.

« Munera, » præsertim si adulationem aut corruptelam, aut remunerationem vel minimum solum, « non tantum non ambire, sed etiam oblata respuere: » hoc quippe est potius libertatem vendere, quam paupertatis titulo eleemosynam ab aliis accipere. *DREXEL., in Rosis. mar., p. II, c. IX, § 40, n. 8.*

GRADUS. — Tres, teste Rodriguez, a SS. Patribus et Directoribus spiritus assignantur, *P. III, tr. III, c. VI*, quorum primus est eorum, qui exterius quidem res mundi reliquerunt, sed voluntate et affectu adhuc inhaerent, adeoque « loculos mentis, » uti loquitur S. Bonaventura, retinent. Qui tamen gradus paupertatis nomen proprie non meretur.

Secundus gradus est eorum, qui res quidem mundanas affectu et effectu reliquerunt quoniam etiam superflua nihil morantur, tamen necessariis valde afficiuntur, angunturque ne quidquam illis desit: quæ tamen ipsa etiam paupertatis econium ac privilegia vix meretur, sed potius opulentia vocari debet, et quidem apud ditissimos reperitur.

Tertius gradus est necessariorum carentia voluntaria. Et hæc tandem vera paupertas est; nam, ut recte quidem Sanctus apud Rodriguez ait: Pauperem esse: nihil habet laudis, nisi cum pauperimus suam pauperatatem in amoribus habet, et quæcumque ipsi incommoda sese offerunt, lætus propter Christum sustineat. Id quod ipsi etiam Ethnici agnoverunt, suoque calculo approbarunt: hinc Seneca, non est autem, inquit, quod te nimum laudes, si contempseris aureos lectos, et gemmeam suppellectilem, quæ est enim virtus, supervacanea contempseris? Tunc te admirare, si non contempseris necessaria. Tunc te admirabor, si non contempseris panem etiam sordidum, si tibi persuaseris, herbas, ubi necesse est, non pecori tantum, sed homini nasci. *EP., cx.*

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Memento paupertatis in tempore abundantiae et inopie ac penurie, in die divitiarum. *ECCL.*, xviii, 25.

Nolite possidere aurum, neque argentum neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo. *MATT.*, x, 9.

Nolite sperare in iniquitate, rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere. *PSAL.*, lxi, 11.

Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, hic contenti simus. *TIM.*, vi, 8.

Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrificarem. *PHILIPP.*, ii, 8.

NECESSITAS. — Qui non renunciat omnibus, non potest meus esse discipulus. *LUC.*, xiv, 18.

Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinat: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nec autem incorruptam. *I COR.*, ix, 25.

UTILITAS. — Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene. *TOM.*, iv, 23.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabuntur, et laudabunt Dominum. *PSAL.*, xxi, 27.

Est homo marcidus, egenus recuperatione, plus deficiens virtute, et abundans paupertate, et oculus Dei respexit illum in bono, et erexit eum ab humilitate illius, et exaltavit caput ejus, et mirati sunt in illo multi, et honoraverunt Deum. *ECCL.*, xi, 12.

Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. *MATT.*, xix, 29.

Et populum pauperem salvum facies. *PS.* xxii, 28.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. *MATT.*, v, 3.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. *PS.* xi, 24.

Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus sollicitus est mei. *PS.* xxxix, 18.

Sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. *II COR.*, vi, 10.

Scio tribulationem et paupertatem tuam, sed dives es. *APOC.*, ii, 9.

Factus est autem, ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abraham; mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. *LUC.*, xvi, 22.

Non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. *PS.* ix, 19.

Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab aestu. *IS.*, xxv, 45.

Melior et medicum justo, super divitias peccatorum multas. *PS.* xxxvi, 30.

Melior est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. *PS.* xv, 16.

Melior est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. *PS.* xvi, 8.

DIGNITAS. — Confide, et mane in loco tuo: facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem. *ECCL.*, xi, 22.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repræsentavit Deus diligentibus se. *JAC.*, ii, 5.

Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus. *PS.* xi, 6.

JUCUNDITAS. — Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. *PS.* lxxvii, 11.

Et pascentur primogeniti pauperem: et pauperes fiducialiter requiescent. Quia Dominus fundavit Sion, et in ipso sperabunt pauperes populi ejus. *IS.*, xiv, 30.

Beatus vir, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia thesauris; quis, est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. *ECCL.*, xxxi, 8.

Anima saturata calcabit favum: et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. *PR.*, xxvii, 7.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Paupertas in inopia mentis est, non in quantitate possessionis; nam

cui cum paupertate bene convenit, dives est. S. GREG., h. vi, sup. *Ezech.*

Hac in re, Fratres charissimi, affectum potius debemus pensare, quam sensum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci poterunt. S. GREG., hom. v, in *Evan.*

Piscatores, vocante Domino, quod naviculas et retia dimiserunt, omnia se dimisisse, et Dominum secutos esse, etiam commemorando lætati sunt. Et revera omnia contemnit, qui non solum, quantum potuit, sed etiam, quantum voluit, habere contemnit. Sed in eo, quod cupiebatur, oculi Dei testes sunt; in eo, quod habebatur, et hominum. S. AUG., ep. xxxiv, ad *Paulin.*

Quod autem afferis, eos melius facere, qui utuntur rebus suis, et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, non a me eis, sed a Deo respondebitur: Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, naviculam et rete dimittit. Iste, quem tu laudas, secundus et tertius gradus est, quem et nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis et tertiis præferenda. S. HIER., in *ep. ad Vitig.*

Ad ædificium temporale sumptus facimus, si non habita colligamus: ad spirituale sumptus facimus, si et habita relinquamus. *VEN. BEN.*, l. IV in *Luc.*

Nihil interdum possidere necessitatis est; nihil per avaritiam cupere, virtutis. Et ideo hunc ille specialiter modum ponere religiosus jubet, ut tantum habeat, quantum necessitas poscit. Habendi enim amor, nisi ad integrum reseretur, ardentior est in parvis, et plus torquetur in minimis. Et nisi ex toto corde et affectu pauper es, paupertas ipsa non virtus, sed miseria judicanda est. *CÆSARIUS AREBAT.*, hom. xxv.

Proh dolor! multi de paupertatis solo nomine gloriantur, sed quo pacto? ut nihil eis desit. Dicunt se amicos paupertatis, sed paupertatis amicos et sodales fugiunt pro suo posse, famem, sitim, contemptum, etc. S. VINC., tr. *de Vit. Spir.* c. 1.

Hi sunt mendici spiritu, qui non aliam ullam ob causam ad mendicantem deveniunt, quam ob doctrinam Domini, qui dixit:

«Vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus.» S. BAS. in *Reg. brev. inter rog.* 205.

Ne quis autem putaret paupertatem, quæ nonnumquam necessitate portatur, a Domino prædicari, adjunxit: «Spiritu;» ut humiliter intelligeres, non penuriam. Unde pauperes spiritu sunt, qui propter Spiritum Sanctum voluntate sunt pauperes. S. HIER., *ap. Mansi*, tr. lxxix, disc. 1, n. 1.

Errat, qui sublimia palatia quaerenda esse arbitratur, ubi cum gloria Rex gloriæ acciperetur, sed non propter hoc a regalibus sedibus venit, nam «in sinistra ejus gloria, et in dextra longiturnitas vitæ.» Horum omnium affluentia in caelis suppetebat, sed paupertas non inveniebatur in eis, in terris autem abundabat, et superabundabat hæc species, et nesciebat homo pretium ejus, Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam. Reclinavit eum in præsepio, et pannis eum involvit. S. BER., l. I, in *Vig. Nativit.*

NECESSITAS. — Evangelica hæc paupertas nostri Ordinis est fundamentum, qui subtracto primarie sic omnis structura Religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, et eversione funditus evertatur. S. FRANC., *opus.* 1, coll. 5.

Nihil maligni Spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Si enim vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius in terram dejicitur, quod habebat, unde teneatur. Quid autem sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? qui ergo cum diabolo ad certamen properat, vestimenta abijcit, ne succumbat. D. GREG., hom. xxxii, in *Ev.*

Non magnopere proderit, majores opes ac substantias contempnisse, si affectus eorum ob quas illæ contempte sunt, in res parvas, atque exiguas transtulerunt. Non vitium cupiditatis et avaritiæ quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscessisse, sed commutasse se probam pristinam passionem: eadem, qua antea, libidine detinentur. Quasi vero differentia tantummodo metallorum, et non ipsa passio cupiditatis habeatur innoxia, et pro rebus quidem magnis irasci non liceat, pro vilioribus vel hoc ipsum fecisse, sine culpa sit, et non idcirco pretiosiores abjecerimus materias, ut faci-

lius disceremus viliora contemnere. D. GREGOR., h. XXXII, in *Ev.*

Miserabiliores sumus omnibus hominibus nos Monachi, si pro tam exiguis tantapatimur detrimenta. Quid enim insipientiæ, imo quid insaniæ est, ut, qui majora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus. Si mundum contempsimus universum, si abrenunciavimus affectibus propinquorum, si monasteriorum carceri mancipavimus nosmetipsos, si denique non oportet fieri, ne forte hæc omnia contigat nobis in insipientia et negligentia nostra perire? S. BERN., *ad Monach.*

Augustus admodum trames est, per quem justitia hominem deducit ad cælum: hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus et nudus: nam isti locupletes multis et ingentibus sarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latissima est, quoniam late perditio dominatur. LACTANT., l. VII, *Justit.*, c. 1.

Cum mundo renuntiavimus, proprietatem nostram cælum esse constituimus, et nos illius proprietates consequenter effecti sumus, ut illud esset portio nostra, et nos peculiariter hæreditas sua. Quapropter, o Monache, vis in tuo loco condere Christum, excute prius nummum, neque enim in uno receptaculo congrue sociantur. Nam si utroque simul incluseris, alterum sine altero vacuum possessor invenies. Quanto quippe in egenis mundi lucris copiosior fueris, tanto a veris divitiis ærumnosius inanes. Nummus ergo si est, in aliena protinus jura concedat, ut vacuum tui pectoris arcam Christus inveniat. Magnus quippe hospes in diversorii sui quærit angusta descendere, atque idcirco solus vult, et sine cohortibus habitare: Cedat, cedat terrena pecunia, ubi thesaurus cælestis admittitur. S. PETRUS DAM., *ep.* XII, c. IV.

UTILITAS. — Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea potes ditius invenire. Vis nosse, quam locuples sit? cælum emit, qui thesaurus conferri possit, quod pauperibus videmus indultum? ut ad regnum cælorum veniret dives, possessione sua obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptum perveniat. S. AUG., *Verb. Apost.*, s. XXVIII.

Omnis Philosophiæ magistra nobis est inopia; non ita laudamus Joseph, cum frumentum distribuebat, sicut cum carcerem habitabat. IDEM, super *Ps.* LXXVI.

Paupertas est manu ductrix quædam in via quæ ducit ad cælum, unctio atletica, exercitatio quædam magna et admirabilis, portus tranquillus. Nihil opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, et cum alacritate suscipit. S. CHRYS., s. XVII, sup. *Epist. ad Hebr.*

Semper dives est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino omnia possidere. S. LEO., s. IV, *de Quadr.*

Nos eos æstimamus, sola coelestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione. Possident et terrena, et quidem tamquam nihil habentes, et omnia possidentes, eo pro certo magis domini, quo minus cupidi. Denique fidei homini totus mundus divitiarum est. Totus plane, quia tam adversa, quam prospera ipsius æque omnia serviunt ei, et cooperantur in bonum. Ergo avarus terrena esurit ut amicus, fidelis contemnit ut dominus: ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat. S. BERN., s. XXI, sup. *Cant.*

Ut rerum facultates instrumenta sunt omnium vitorum, ita harum abnegatio generatrix est, nutrixque omnium virtutum. S. AMBR.

Pauper innumerabiles divitias possidens, est pauper Evangelicus, qui, cum Deum ipsum honorum omnium fontem gestet in corde, bonis indigere non potest. Si ergo hic nullo eget, et multas divitias habet, dives est. Vere dives, qui paupertatem spiritus habens, virtutes veras animæ opes ad se transtulit possidendas. S. BEDA., tom. II, in *Prov.* c. XIII.

Vis inopiæ divitias addicere: non subjacet demonibus, non assistit Regibus, quia militat Deo, et cum Angelis ipsis cælorum Regi famulatur. Non habet horrea, ubi grana reponat, sed talem abundantiam, ut habere mundum universum, nihil existimet. Non habet, quod thesaurizat in terra, quoniam cuncta, quæ possidet, recondit cælo: non indiget servis, magis autem servos, possessiones, et cogitationes, quæ Regum corda dilatant, regnum, aurum, et omnia talia, quemadmodum puerorum lubrica deridet, et sicut præteriens umbra, cuncta quæ omnibus cara videntur, existimat fore contemptibilia. S. LAUR. JUST., in *Lig. vit. de paup.*, c. VI.

Parva dimisimus, et grandia posside-

mus: centuplicato fenore promissa Christi redduntur. S. HIER., *ad Pammoc.*

O quanta beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, et habere Dominum debitorem. Servit Isaac in terra illa, inquit Scriptura, et invenit in ipso anno centuplum, benedixitque ei Dominus. Et locupletatus est homo, et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est. ID., *ep.* CL, *ad Henrig.* 1.

Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si pro parvo numero centenarius numerus comparetur. Hæc est mensura coagitata, quæ ita meritorum copiam excedit, ut excessum istum nec lingua eloqui, nec mens cogitare sufficiat. IDEM.

Centuplum namque fratrum, patrumque recipiet quantitatem, quisquis patris unius, vel matris, seu filii, pro Christi nomine, charitate contempta, omnium, quæ Christo deserviunt, delectationem sincerissimam transit, pro uno scilicet tot inveniens patres, fratresque ferventiores ac præstantiores sibi affectione devinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione ditabitur, quisquis una domo pro Christi dilectione rejecta, innumera monasteriorum habitacula tamquam propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in suæ domus jure succedens. Quomodo enim non centuplum et si Domini nostri sententiæ supradici aliquid fas est, plus, quam centuplum recipit, qui decem vel viginti servorum ministeria infida et coactitia derelinquens, tot ingenuorum ac nobiliorum spontaneo fulcritur obsequio. CAS., coll. XIV, c. XX.

Mala Lazari purgavit ignis inopiæ, et bona divitis remuneravit felicitas vitæ presentis. Illum paupertas afflixit et tersit: istum abundantia remuneravit et repulit. Quidcumque ergo in hæc vita bene habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde in eis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit bonorum; et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspiciatis, nolite despiciere, nolite desperare, quia fortassis, quos superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. D. GREG., h. XI, in *Ev.*

Simul ut tradiderit bona sua pauperibus, dicimus eum quasi receptaculum Dei fac-

tum, suscipere omnes virtutes, et malitiam universam ponere. ORIG., tr. VII, in *Math.*

O Domine Jesu Christe, ostende mihi semitas tuæ dilectissimæ paupertatis: scio enim, quod est Tamentum Vetus, novi fuit figura. Illis promisisti, quia omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit; calcare est contemnere: paupertas omnia calcavit; ergo est omnium Regina. S. FRANC., *épist.* VIII.

Primum hanc beatitudinem uterque Evangelista posuit: ordine enim prima est, et parens, generatioque virtutum. S. AMBR., l. V, in *Luc.*

Nutrix est confidentiæ, orationis adiutorium, peregrinationis exhortatio, et perfectionis porta, sine qua nemo coram Deo in spiritu diu perdurare poterit. S. LAUR. JUST., *de Lig.*, c. I.

Exterminat paupertas iniquitates per subtractionem occasionis peccandi, quia sicut cum affluentia divitiarum crescit, sic voluntaria paupertate minuitur. IDEM, c. II.

Paupertatem scitote fratres specialem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, ejus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Evangelicæ agri thesaurus absconditus. S. BERN., s. I, in *festo.* OO. SS.

Pauperes spiritu etiam in hæc vita jam re ipsa regnant, regno plane cælesti, longe felicitius, quam Reges et Principes terræ. Hi enim, ut plurimum, verius gravissimam serviunt servitutem, quam regnant, multos enim patiuntur tyrannos, discruciat ab avaritia, ira, livore, cupiditate bonorum, ac vindictæ. At homo humilis terrenarum facultatum ac bonorum inops, liber est ab hujusmodi curis, tranquillo semper existens pectore, secure expectans dona cælestia. CORNEL. JANSENIUS, *ap. Mansi.*, t. LXIX, d. v.

Pauperibus claves regni cælorum non tantum promissive, sed possessive conceduntur; hujusmodi ratio est, quia Evangelica paupertas nihil habet, quod mundi sit; sed quia prudentissimus Creator et gubernator, nullam creaturam sine loco fecit: cum paupertas locum in mundo non habeat, ideo ei possessive ex nudo cælicas sedes dedit. S. BERN., t. III, s. II, *de Multip. paup.*, ar. III, c. III.

Hæc est illa celsitudo altissimæ pauper-

tatis, quæ vos charissimos fratres meos hæredes, et reges cœlorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit; hæc sit portio vestra, quæ deducit in terram viventium. S. FRANC., ep. VIII, c. VI.

Fœcundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum; via cœli est pauper per quem venit ad patrem: incipe erogare si non vis errare. AUG., de verbo Domini.

Paupertas penna magna, qua cito in regnum volatur. BERN., de Adventu Dom., s. 4.

DIGNITAS. — De illis, qui, expeditis aut omnibus, aut pene omnibus sarcinis, Salvatoris viam sequuntur, et Dominum Jesum Christum, non sanctitate tantum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est, quod dici possit, nisi illud tantum quod etiam Propheta dixit: « Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. SALVIAN., l. II, ad Eccl. Cath.

Hos ego non aliter, quam imitatores Christi honoro; non aliter, quam Christi imagines colo; non aliter, quam membra Christi suscipio. IDEM.

Cœlestem monstravit (Christus) esse paupertatem, cum non habere, neque velle terrena, gerat similitudinem Angelorum, qui terrena concupiscere, neque possidere noverunt, Angeli sunt terrestres. S. BERN., l. c.

Recte itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait: « Ipsorum erit Regnum cœlorum, » sed « est: » non solum propter Jus firmissimum, non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam, quia in quamdam ejus possessionem coeperunt introduci, jam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, jam portantes Deum in corporibus suis, et cordibus. Quam beata gens, cujus est Dominus Deus ejus! quam vicini sunt Dei Regno, qui Regem ipsum, cui servire regnare est, jam possident, et gestant in corde suo. GURIC. ABBAS., in festo, OO. SS.

Si intueri volueris animam hominis aurum amantis, invenies eam ut vestimentum a decem millibus vermium corrosam, ita eam perforatam undique a sollicitudinibus, et a peccatis putrefactam, et æruginè plenam. Verum haud talis est anima pauperis voluntarii, sed potius fulget ut aurum, splendet ut gemma, efflorescit ut rosa. Non est illic tineæ, neque sollicitudo negotiorum

hujus vitæ, sed sicut Angelus, ita conversatur. At non habet equos, et currum; quid vero his opus est ei, qui super nubes vehi debet, et esse cum Christo? S. CHRYS., hom. LXXIV, in Matth.

Qui Deum cognoscet, ei assimilabitur, et quam paucissimis fieri poterit indigens, solus autem Deus nulla re indiget. S. CLEM. ALEX., l. III, *Pædag.*, c. II.

Horum omnium æterna in cœlis affluentia supplebat, sed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat, et superabundabat hæc species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligeret sibi, et vobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam. S. BERN., l. I, in *Vig. Nat.*

Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant; an non satius cum honore ea spernes, quæ cum dolore perdis? S. BERN., in *epist.*

Nudus Monachus mundi totius est dominus: Deo enim curam suam creditit, et per fidem omnes possidet servos: non dicit homini necessitatem suam, sed, quæ offeruntur, quasi de manu Domini suscipit. S. CLEM., *grad.* XVII.

Pura et numeris omnibus absoluta libertas est nulla omnino re indigere, quod quidem, ut humanæ naturæ conditione sublimius ac præstantius, divino Numini tribuatur. Secunda autem ab ea, paucis opus habere; quod quidem homines consequi, atque ad id pervenire possunt. Hanc igitur amplectamur, quoniam prima captum nostrum excedit. S. ISID., l. II, ep. XXXII.

Paupertas nobilis titulus est. Videamus quam sit gloriosa ista paupertas, quam felix probetur inopia, quæ Dominum et tacita laudat et de patientiæ suæ virtute concelebrat; mutus est si psallat superbus, pauper et inops laudat Deum, etiam cum videtur habere silentium.

JUCUNDITAS. — Paupertas est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad Deum sine impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transuentis, et facit ut Dei mandata perfecte exequamur. S. CLEM., *grad.* XVII.

Pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra, quam auro dives in purpura. VEN. BED., in II, ad Cor.

Deliciæ et epularum varietates fomenta

avaritiæ sunt. Grandis exultatio animæ est, cum parvo contentus fueris, mundum habere sub pedibus, et omnem ejus potentiam, epulas, libidines propter quæ divitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, et crassiore tunica compensare. Tolle epularum et libidinis luxuriam, nemo quæret divitias. S. HIER., l. VIII, *contra Joân.*

Quid paupertate melius? quid securius, quid jucundius? tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi, hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Bonum cœlestis præstolatur possidere in cœlo, ideo nihil habet, quod amittere possit in terra. Frequenter evolat ad supernam patriam, ubi suum remunerato-rem esse cognoscit. S. LAUR. JUST., in *Lig. vit. de paup.*, c. IV.

Quid est centuplum istud, nisi consolaciones, visitationesque, et primitiæ spiritus, qui super mel dulcis est? nisi testimonium conscientiæ nostræ? nisi læta et jucundissima expectatio justorum? nisi memoriam abundantiam suavitatis Dei, et magna vere multitudine dulcedinis ejus, quam nec expertis neesse est dicere, nec inexpertis nullis verbis exprimere quispiam potest. S. PETRUS DAM., apud *Alv.* t. II, p. I, l. V, c. XIII.

Paupertas est tuum asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, deliciæ periculorum expertes, voluptas sincera, vitaurbationum nescia, vita fluctuum ignara. S. CHRYS., *ap. Beir.*, t. VI, f. 112.

Quo pretio quies hujus temporis aptius comparatur, quam ut ipsi mundo omnes divitiæ, omnes dignitates, et universarum cupiditatum materiæ refundantur, et sancto beatoque commercio ematur Christiana libertas, fiantque filii Dei, de paupertate divites, de patientia fortes, de humilitate sublimes. D. PROSP., in *ep. ad Demetr.*

Instruantur mense duæ; una pauperibus omnis generis repletur, divitiibus altera. Illic argentum nihil nec vini multum, sed quod tamen ad hilaritatem sufficiat; hic vasa aurea et argentea, ministri multi atque splendidi, et sumptuosa ferula. In utra estis acubituri? in hac vestrum, opinor, plurimi: ego ad illam propere. Hæc homines, illa Christum; servos hæc, illa Dominum habet recumbentem. Itaque sic etiam major illius, quam hujus voluptas, quanto jucundius cum Rege, quam cum famulis acumbere. In illa ego, quique mecum jam elegerint,

multa cum libertate, animique delectatione et loquimur, et audiemus omnia: vos autem in hac trementes et timidi simulque discumbentes, subvertique, manum quidem protendere audebitis, quasi ad pedagogum, non ad prandium ingressi, et coram molestis ac sævis dominis trementes, et servorum more eadem cum heris mensa communicantium abjecte loquemini: vos vero non ita. Duplici ergo nomine vos superamus, libertate scilicet et honore, quibus, quod ad voluptatem attinet, nihil conferendum. Ego quippe malum cum libertate, amicitia, gratia, panem et olera, quam cum servitute et inimicitia, vitulum saginatum, et mille ferula. S. CHRYS., in *ep. 1 ad Coloss.*

Vere dives, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est, sed solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum dives, nisi quietus et modestus spiritus, qui nunquam corrumpitur? Nonne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, et nova quærat, et semper desiderando fiat in summis divitiis inops! Ea est pax vere dives, quæ superat omnem mentem. S. AMBR., l. III, *ep. 1.*

Quod pauperes spiritu jam quodammodo in præsentibus sint beati, clarescere etiam potest, si considerentur quatuor, quæ paupertas spiritus conformia facit statui Beatorum. Facit enim impassibiles, agiles, subtiles et divites. Primo facit impassibiles, quia non dolent de temporalium amissione, immo de hoc gaudent. Secundo facit agiles, scilicet ad facilius sequendum Christum: « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. » Tertio facit subtiles, seu graciles ad intrandum in paradysum, sicut et contra divitiibus scilicet avaris difficile est. Quarto facit divites ad emendum Regnum cœlorum; proinde Augustinus in persona Domini ait: Venale habeo; quid? regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, utilitate gloria, labore requies. S. BERN., apud MANSI, tr. LXXIX, *disc. v.*, n. 5.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Intuere SS. Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit, et Religio. Omnibus divitiis, dignitatibus, honoribus, amicis, et cognatis renuntiabant: nil de mundo habere cupiebant, vix necessaria vitæ sumebant, corpori servire, etiam in necessitate dolebant. Pauperes igitur erant rebus terrenis, sed divites valde in gratia et virtutibus. Foris egebant, sed intus gratia et consolatione reficiebantur. L. I, c. xviii, § 1 et 3.

Dicunt multi imbecilles et infirmi: Ecce quam bonam vitam ille homo habet, quam dives, quam magnam, quam potens et excelsum? sed attende ad cœlestia bona, et videbis, quod omnia ista temporalia nulla sunt, sed valde incerta et magis gravantia, qui nunquam sine sollicitudine et timore possidentur. Non est hominis felicitas, habere temporalia ad abundantiam, sed sufficit in mediocritas. L. I, c. xxii, § 2.

Quid hic circumspicias, cum iste locus non sit tuæ requietionis? In cœlestibus debet esse habitatio tua et sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda. Transeunt omnia, et tu cum eis pariter. Vide, ut non inhæreas, ne capiaris et pereas. L. II, c. i, § 4.

Quod si omnia solatia mundi solus haberem, et omnibus deliciis frui possem, certum est, quod diu durare non possem. Unde non poteris, anima mea, plene consolari, nec perfecte recreari, nisi in Deo consolatore pauperum, et susceptore humilium. Expecta modicum, anima mea, expecta divinum promissum, et habebis abundantiam omnium bonorum in cœlo. L. IV, c. xvi, § 1.

Juvat non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta et decisa ex corde radicatus. Quod non tantum decensa æris et devitarum intelligas, sed de honoris etiam ambitu et vanæ laudationis desiderio, quæ omnia transeunt cum mundo. L. III, c. lxxvii, § 3.

Fili, tene breve et consummatum verbum: dimitte omnia, et invenies omnia. Relinque cupidinem, et invenies requiem. Hoc mente pertracta, et cum impleveris, intelliges omnia. L. IV, c. xxxii, § 4.

Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera, ut

ab omni proprietate possis expoliari, et nudum Jesum sequi, tibi mori, et mihi æternaliter vivere. Tunc deficient omnes vanæ phantasiae, conturbationes iniquæ, et curæ superfluae. Tandem etiam recedet immoderatus amor, et inordinatus amor morietur. L. III, c. xxxvii, § 3.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Christus de seipsa dixit: Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidus: Filius autem hominis non habet, unde caput reclinet. *MATT.*, viii, 20. Sed et Zacharias Propheta de eo dixit: Ecce Rex tuus veniet tibi justus et Salvator; ipse pauper et ascendens super asinum. *ZACH.*, ix, 9. Hinc cum esset dives in omnibus, factus est in hoc mundo omnium pauperissimus, ut quam magnum esset bonum paupertatis, virtus, prius ostenderet exemplo, quam verbo. Sed et S. Bonaventura id confirmans: Christum, inquit, pauperula Mater pauperem peperit, ut nos ad paupertatem invitaret, ex sua inopia ditaret, secundum illud: « Scitis gratiam Domini Jesu Christi, quoniam propter nos, etc. S. LAUR. JUST., de *Lig. Vit. de Paup.*

B. Virgo quantopere fuerit paupertatis studiosa, patet ex partu, purificatione, et reliqua vita, quam pauperum more transegit; unde merito S. Birgitta eam sic loquentem introducit: Omnia, quæ habere potui, dedi indigentibus, nihilque nisi victum tenuem et vestitum reservavi. Nulla mihi, nisi Deus placuerunt. Ego semper in corde meo optavi, ut viverem ad tempus Nativitatis ejus, si forte fieri mererer ancilla indigna Matris Dei. Vovi etiam in corde meo, si esset ei acceptabile, observare virginitatem, et nihil unquam possidere in mundo. L. I, *Revel.*, c. x.

De se et aliis Apostolis dixit S. Paulus: Usque in hanc horam esurimus, et sitimus, nudi sumus, et colaphis cœdimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. I *COR.*, xi, *MATT.*, xix, 27. Sed et ad Christum audacler dixerunt: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. *MATT.*, xii, 1. Alias cœperunt vellere spicas, et manducare.

De primis Christianis testatur S. Lucas in *Actis Apostolorum*: Omnes, qui crede-

bant, erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. *Act.*, ii, 44. Immo SS. Hieronymus, Cyprianus, Basilius putant, fideles jam tum votum paupertatis emisisse, idque colligunt ex penis ab Anania et Saphira datis. *Apud. ROMAN.*, p. III, tr. iii, c. 1.

Cum S. Hilarion ex Orione integram legionem malorum spirituum fugasset, ideoque Orion magnam pecuniarum summam ei obtulisset, respondit S. Hilarion: Num vis, ut me invadant fugati dæmones (an nescis, lepram Naamani Giezi servo Elisei adhaesisse? Cumque Orion urgeret, ut saltem pauperibus distribuere datam pecuniam, iterum respondit Sanctus: Quin tu potius, qui melius nosti pauperes, ipsem distribu. Scias quippe velim, multos per elemosynarum divisionem in avaritiæ vitium incidisse. *PETRUS SANCH.*, in *Reg. Dei*, p. V, c. ix, f. 440.

S. Arsenius cum mortui fratris testamentum, quo hæres declarabatur, ei oblatum fuisset, lacerto illo dixit: « Ego prius, quam frater meus mortuus fui; nihil ergo de relictis ab ipso bonis ad me pertinet. *IBID.*

S. Nicolaus cum in templo verba illa Evangelii: Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, audivisset, sibi soli a Deo dicta credens, mox templo exivit, et omnibus possessionibus renuntiavit. *IB.*, f. 336.

S. Richardus, et duo ejus socii tam pauperes erant, ut, quoniam unum tantum pallium habebant, mutatis vicibus, unus tantum scholas et templum adire posset. Cumque, oblata ab amicis divite sponsa, fratrem suum eandem sibi invidere advertisset, ultra ad eum, accipe, inquit, tu illam, nam ego quidem paupertati et sapientiæ me desponsabo. *IBID.*, ex *Surio.*

Cum Episcopus quidam S. Abbati Amato liberalem elemosynam dedisset, respondit ille: « Cur das, quo non indigeo? da potius pauperibus, nam ego quidem nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus in terram revertar. » Cum vero Episcopus coegisset illam accipere, abiecit illam, et dixit: « Deus pars mea est: vobis autem non indigeo. » *IBID.*, ex *Surio.*

S. Joannes Elemosynarius (qui pauperes dominos suos appellabat) hac vita mi-

graturus, gratias Deo agebat, quod non nisi unicus nummus ipsi superesset, quem ipsum proin etiam pauperes erogari jussit. Annuus redditus sui Patriarchatus in pauperes distribui jubebat, asserens, ideo Sacerdofibus, neque possessionem, neque partem, neque hæreditatem inter reliquas tribus datam, quoniam pars et possessio eorum erat ipse Dominus. *JOAN. DIDAC.*, in *Vita.*

S. Gregorius Thaumaturgus hoc posteris de se narrari voluit, quod vivus, nullius loci possessor fuerit, et mortuus, alieni sepulcri inhabitator sit. *LIPELOUS*, 17 nov.

S. Franciscus Seraphicus rogatus a Fratribus, quæ virtus maxime gratos Christo nos faceret, respondit, paupertatem esse. Hanc in omni sermone, Matrem, Sponsam, Dominam, Reginam appellabat. Cum mendicium quendam pauperiorem se aspiceret, quam ipse esset, ita sancta quadam invidia commoveri solebat, ac si in re magna, multumque expetenda vinci se videret. Cum ad Principum mensas invitabatur, non ante eas adibat, quam aliquot panis frusta per viciniam mendicasset, quæ deinde in mensam cum gaudio exponebat. Cum Guardianus quidam cellam ei ex tabulis obiter dolatis præparasset, non prius illam inhabitare voluit, quam parietes ramis viminibusque contexti paupertatis speciem exhiberent. *S. BONAV.*, in *Vita. CHRON.*, p. I, l. II, c. x.

S. Clara usque adeo paupertatem amabat, ut privilegium paupertatis ab Innocentio IV, petere ausa fuerit; qua petitione mirifice delectatus Pontifex non solum concessit, quod petitum fuit, sed cum incredibili voluptate totum manu propria conscripsit. *S. ANTONIUS*, ap *Platum*, l. II, c. iii.

Abbas Isaac eum cum discipuli crebro monerent, ut pro usu Monasterii possessiones, quæ offerebantur, acciperet, ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat. dicens: Monachus, qui in terra possessionem quarit, Monachus non est; sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem amittere, sicut avari divites solent perituras divitias custodire. *Spec.*, ex. d. i, ex. 33.

S. Bessarion præter tunicam, palli laciniam, et Novum Testamentum, quod semper infra brachia gestabat, nihil sibi ex omnibus reservavit. Imo cum in demortui et inhumati cadaver incidisset, etiam huic didimium pallium superinjecit. Inde ultra progressus, et a mendicabulo stipem roga-

tus, cum nihil haberet, tunicam exiit, et egenti dedit. Post hæc cum decori ratio videretur eum in publico comparere, ab honesto viro in angulo nudus deprehensus, segmento sagi sui tectus est; a quo cum interrogaretur, equis ita eum spoliasset, librum ostendens, hic, inquit eo me redegit. Tandem neque librum retinuit, ut eo vendito, pretium pauperibus elargiretur, sicque ipsius libri monitum impleteret, quo dicebat: Vade, vende omnia, quæ habes, et da pauperibus. *Ex Vit PP.*

S. Elisabetha Pannoniæ Regis filia, et Landgravi Thuringiæ uxor, usque adeo paupertatem diligebat, ut et vilissimum sape domi amictum indueret, et in Ecclesia audiendæ concionis gratia, non nisi inter infimæ sortis mulieres consideret. Post mortem, mariti omnia quæ habuit, pauperibus distribuit, constructoque diversorio, seipsam ægrorum et pauperum ministram fecit, nunquam lætorum visa, quam cum inter mendicos se accensam videns, panem et hospitiem quæsit. *MAKUL., l. I, c. viii.*

Buchardus Wormatiensis Episcopus ex hac vita migraturus, ita suos alloquebatur: Hesterno die fui unus ex diutissimis, sed jam expecto, quod mox futurus sim, ut stercus et cinis. Talis est gloriatio nostra, talis est dominatio mundana. Nudus quippe egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illum, nihil præter peccata mea reportans, nisi Dei misericordia exhortante, aliquid bonum facerem aliquando, hoc apud Deum inventurum me esse spero. Tum ministri præsentem thesauriam cameram aperientes, præter Ecclesiasticum thesaurum, tantum tres denarios, quos in vantage, dum alias pecunias pauperibus distribuit, reliquerat, invenerunt. Sed et soror, aperto, quod illi soli donaverat in memoriam sui, scrinio non nisi hispidum cilicium et catenam ferream usu attritam reperit. *BARON., t. II, Ann. 1026.*

S. Philippus Nerius dicere solebat: Vellem, quod ad tantam redigeret paupertatem, ut unico Julio opus haberem, nec esset, qui illum mihi daret. *MANSI, d. I, n. 2.*

P. Gioiosa Capuccinus, qui unus ex primis Franciæ, multorumque statuum et territoriorum dominus fuit, saccum sum, nec non et habitum sepe indicibili cum lætitia osculari solebat, in hæc prorumpens verba: O mi habitus parum agnitus, paucisque notus! inaccessibilis enim pariter, et inexplica-

bilis est quies et tranquillitas interior illius, qui paupertatem ex toto corde amplectatur. *MANSI, d. III, n. 2.*

Philippus Balearium Regis filius multorum sacerdotiorum, quæ possidebat, cura deposita, eo se volens redegit, ut uno adjutore contentus viveret, atque ex inopia eam voluptatem capiens, quam alii ex magnarum opum usu consequuntur, ab eo tempore victum mendicavit.

Antonius Ægyptius a patre in magnis opibus relictus, bona quæ receperat, pro Christi nomine dispersit, monachorumque multorum Rector in tanta rerum inopia decessit, ut testamento nihil præter melotem palliumque Athanasio Serapioni, alteram melotem et discipulis, qui eum sepeliverunt, cilicium reliquerit.

Abraham Ægyptius vasta in solitudine, clausa etiam cellula, cum nihil omnino suppelletilis præter catinum vestemque cilicium et rusticum sagum haberet, usque ad quinquagesimum ætatis suæ annum (qui vitæ ultimus fuit) dicitur perdurasse, ita ut nihil unquam amplius concupisset. Bona enim et ea non modica, in quibus hereditario jure absens successerat, egenis dilargiri mandavit, ne obolum quidem passus ex his ad se deferri. In summa igitur inopia tam dives fuit, ut nihil appeteret: in summis opibus tam largus, ut omnia donaret, semper divitiis præferens paupertatem.

UTILITAS. — Cum S. Aurelius et S. Natalia, appropinquante jam Martyrio, ex SS. Flora et Maria Virginibus Martyribus sibi apparentibus quæsiissent, cui facultates suas relinquere deberent responderunt illæ: Date pauperibus, ut pauperes moriamini, sicut Christus, et ex hoc mundo exeatis, sicut intrastis. *PETRUS. SANCH., p. III, c. ix f. 337.*

S. Andreas, cum filiam Regis Polemii sanasset, illique pater magnam pecuniæ summam offerret, intrepide respondit, se non propter aurum et argentum venisse, sed ut viam vitæ Regi subditisque monstraret. Quod dictum admiratus Rex, se suosque in gremium S. Matris Ecclesiæ recepit. *IBID., f. 340.*

S. Stephanus Ordinis Gradimontensis Fundator, cum a suis quæreretur, commodo post obitum ipsius se alere deberent respondit, se divinæ providentiæ eos commisisse, quæ passura non foret, ut necessaria alimenta desint, si paupertatem amaverint, secus vero si, abjecto Dei timore, ad spes

humanas confugerint. *PETRUS SANCH., p. V, c. ix, f. 538.*

S. Clara suis sororibus dicere solebat, tum demum suum Collegium stabile ac firmum futurum, si propugnaculis et monibus paupertatis quam maxime muniretur. *PLATUS, l. II, c. 2.*

S. Lydavina triginta annis pauperrimam vivens vitam miserantibus dicebat: Satis abundat, qui eo, quod habet, contentus est. Etsi mihi communes cum hominibus non sunt divitiæ et delicia, sunt tamen cum multis communes paupertates et miseriæ, quibus egos abundans Deo gratias ago et quiesco. *LIPPÉLOUS, t. II, 14 april.*

Obtulit quidam Frater seni pecuniam dicens ei: Habe hanc pecuniam ad expensas tuas, quia senes, et infirmus es (erat enim leprosus). Cui senex respondit: Tu post sexaginta annos venisti auferre a me nutritoem meam: ecce enim tempus habens in infirmitate mea, nihil indigni, Deo tribuente et pascente me. *VITA PP., l. c.*

S. Franciscus Seraphicus ante omnia suis paupertatem commendabat, dicens, eam esse viam salutis, humilitatis fomentum, perfectionis radicem, et ab ea multiplices fructus existere, quamquam occultos et paucissimis cognitos. *S. BOS., in ejus Vita.*

DIGNITAS. — S. Gregorius Nazianzenus de seipso ita scripsit: Sed paupertatem et inopiam exprobrabant: at istæ sunt divitiæ meæ. Hæc me non solum gloriantem, sed etiam arrogantem fecit. Videntur enim mihi inimici mei, dum hoc objiciunt, id objicere, quod in vestigiis illius incedam, qui propter nos inops factus est, cum esset dives. Atque utinam exuere me possem panniculis istis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem spinas sæculi, quæ retinent, et revocant pergentes ad Deum. In. *Apolog.*

S. Franciscus Seraphicus cum aliquando vidit Fratrem Masseum plura frusta panis, quam se habere, valde gavisus dixit eidem: Frater mi, thesaurus beatificæ paupertatis tam divinus est, ut nos digni non simus illum in vasis nostris tam vilibus possidere, cum paupertas sit illa virtus, per quam cuncta terrena et transitoria calcantur, per quam omnes obices tolluntur e medio, et libere Domino Deo mens æterna jungitur. *SPEC., Ex. d. VII, ex. 28.*

JUCUNDITAS. — Cum faber quidam ferrarius in magna paupertate constitutus, nihilominus inter labores canere fuisset audi-

tus, dives illi vicinus utpote continuis sollicitudinibus gravatus ei jucunditatem hanc invidens, eo absente, loculos pecuniarum plenos in officinam ejus coniecit, quibus inventis, cum Faber canere desisset, idem dives causa silentii cognita, pecunias suas esse dictitans repetiit, simulque antiquam ei mentis lætitiæ restituit. *EX. SPEC., d. v. ex. 60.*

Cum S. Hilarionem latrones infestantes quærerent, an non timeret, ille se sic intrepide eos susceperat, ita pari confidentia respondit: Nudus latrones non timet. *BEIRLINGER, t. VI, f. 112.*

PAUPERTATIS VIOLATÆ PENE. — Frater Bernardinus Gemmensis Sacerdos moriturus, a dæmone violatæ paupertatis accusatus fuit, quod plus lini cerati, quam necessitas postulare, noctu consumpsisset, ideoque Fratris Litanias recitantibus assiduo, dicebat tam modicum, tam modicum Paulo post, rediens ad se et interrogatus, quid verbis illis significare voluisset, respondit, dæmonem ex omnibus rustulis lini cerati volumens ingens composuisse, et de hoc ante Judicem accusasse. *ANNAL. CAPUC., 1581., n. 72.*

In Conventu Armariensi in Belgio Clericus ægrotos de salute desperare cœperat, et Guardianum causam roganti dixit, dæmonem adfuisse, et ob scopas inconsulto Superiore occultas damnatum dixisse; sed Guardianus, reindicata, quietum esse jussit. *IB., 1589, n. 84.*

Frater Joannes a Castro in agone acerbè flens dicebat, dæmonem astantem se cernere, paratum accipere in infernum, eo purpuream imaginem, quam alteri clam furatus esset; ea in virgulis inventa et restituta, successit B. Virgo cum S. Francisco, et is quiete est mortuus. *IB., 1589, n. 63.*

S. Franciscus cum Frater Elias Generalis Ordinis vestem sibi oblongam, undantem, et manicis follicantibus instructam, ipsaque materia pretiosam parasset, eam sibi parum concedi postulans, coram Fratribus induit, et omnia concinne disponens, et thronis more se circumspiciens dixit ad Fratres: « Salvete, magnifici viri, tandem, factum illis stupentibus, abiciens vestem cum indignatione dixit: Ita quidem spuri nostri Ordinis vestii incedunt. Deinde, resumpta humili veste, vultu ad lætitiæ et suavitate composito, paupertatem, humilitatem iis denuo commendavit. » *CHRON. FRANC., p. II, l. II, c. XXXIX.*

Cum Abbas quidam a Saxonia patrio panono non contentus, pretiosum e Belgio afferri curasset, eo mortuo tam Prior, quam reliqui Fratres, qui eas vestes induerant, scintillas in morem candentis ferri emicantes viderunt, et tamquam laminis candentibus se aduri existimabant. *L. de Vir. illust. Ord. Cisterc.*

Cum alius quidam Cisterciensis Abbas Philippo Regi Romanorum angustias sui Conventus cum dolore exponeret, Philippus calecos Oratoris intuens, satis quidem, inquit, domus vestræ angustias vel tacentis calcei loquuntur, ut, quæ ne solvendo quidem, quod pro corio debet, esse videatur.

Justus Monachus quia tres aureos a fratre suo seculari pro tunica paranda, inscio Superiore, accepisset, S. Gregorius eum in morbum lapsum omni communionem privari, et extra septa Monasterii sepeliri voluit, cum publica hac imprecatione: Pecunia tua tecum sit in peditionem. Quo facto, Fratres commoli, omnia sua in medium attulerunt. *L. IV. Dial.*

Cum Eremita quidam magnæ virtutis a Deo ostendi petisset, quantum olum remunerationem ab eo sperare posset et quondam, per revelationem cognovisset eandem sibi cum S. Gregorio Magno gloriam paratam esse, comparans suam paupertatem cum S. Gregorii divitiis et dignitate, dolensque, se sua paupertate et penitentis non majus præmium meruisse, audivit Dominum in somnis dicentem: Quando divitem non facit possessio divitiarum, sed cupidus, cur audes paupertatem tuam divitiis Gregorii comparare, qui magis illam selem, quam habes, quotidie palpando et fovendo diligere comprobatis, quam ille, qui tantas divitias non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter dispergendo largitur? *JOAN. DIAC. in Vit. S. Greg., t. XL.*

Frater quidam laicus, cum Psalterium, inscio Superiore, retinisset, et eo sæpius id exigente, tradere noluisse, in pertinacia tanta mortuus, post sepulturam, incondita voce in choro ejulare cepit, adjuratusque a Guardiano, et quis esset, edicere jussus, respondit, se esse Fratrem heri sepultum, et ob Psalterium non traditum æternum damnatum. *CHRON. S. FRANC., p. II, l. I, c. 18.*

Alius quidam Frater diabolus, circa agonis tempus, segmento lacerae vesti rarsandæ ocellis ab eo sublecto, insidere ac lambere vidit; quare accersito Superiore

peccatum suum cum dolore confessus, in gratiam cum Deo rediit, demonemque fugavit.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius paupertatem ut matrem et colebat ipse singulari studio, et ab aliis coli volebat: hinc, ne quid contra eam permitteret, quadraginta diebus deliberabat, an pro templo Professorum redditus admittere deberet. Sed et ægre ac raro permittebat, ut e professio domo aliquis in Germanico Collegio vel Romano versaretur, ne quid ex Collegiorum fructibus ad domum professam perveniret. Cuidam efflicti paupertatem exhorrenti dixit, magis metuendum esse timorem paupertatis, quam ipsam paupertatem. *MAFF., l. III, c. VIII; BARTOLIS, l. IV.*

P. Sebastianus Barrada vix persuaderi poterat, ut patienter in Collegio tamquam Professor viveret, non credens laborem suum in sufficientem utilitatem aliorum cedere. Quocirca perpetuo apud Superiores instabat, ut vel apud externos, vel apud nostros exhortati sibi liceret, ne ignavo otio velut ficus alieno melle frueretur. *Narratio in Itinerario Fil. Isr.*

PAUPERTAS IN NECESSARIORUM CARENTIA. — P. Andreas Oviedo etiam dum Episcopi munere fungebatur, tanta erat paupertatis, ut, cum Sebastiano Regi Lusitaniæ scriberet, folium illud, quod initio Breviarii erat, usurpare debuerit. Et cum Pio V. scriberet, extremas foliorum Breviarii partes abscondere, et ne diffluerent, filo connectere debuerit: quas litteras Pius V. nunquam sine lacrymis legit, et aspexit. *Hist. Soc., l. III, c. XII.*

Salmantiæ Patres tanta urgebantur inopia, ut cum e conclavi sacellum adornasset, picta tabella non suppleret. Quam paupertatem conspicatus civium unus, eam chartam suis manibus revulsit, aliamque pietam, et quidem elegantem tabulam substituit. *Ibid.*

Compluti anno 1549, cum Petrus de Silva defunctus esset, sacerdotalem funeris cultum ob paupertatem nostri non habebant, quod admiratus Franciscanus quidam pius sponte necessaria obtulit. *Is., l. IX, n. 117.*

In Brasilia in urbe Salvatoris anno 1554, nostri, in tanta vivebant paupertate, ut

fractis viribus, colore exhausto, spirantium mortuorum viderentur effigies, quæ tamen omnia ob dulcem Christi charitatem gaudenti animo tolerabant. *Is., l. XIV, n. 117.*

Initio Collegii Senensis anno 1536 quatuor primi Patres in domum inanem ducti, nec mensam, nec sellam, nec scrinium, nec scabellum habebant. Unde libellos et vestes pauculas in pavimento collocare, et ad scribendum lecto pro mensa uti cogebantur. *Ibid., l. XIV, n. 6.*

PAUPERTAS IN SUPERFLUORUM REJECTIONE. — S. Franciscus Xaverius Roma in Indiam proficiscens nihil secum præter communes vestes et Breviarium tulit: et ad Lusitania nihil nisi vulgarem lacernam et paucos libellos, obrudente Comite Castanerio servum mihi vero, inquit Xaverius, harum manuum usus dum erit, alio ministro opus non erit. *Vit., l. I, c. IX.*

B. Aloysius in paupertate magis requiescebat, quam in divitiis. Numquam librum in usu habuit, quem secum ferre liceret. Communibus in cubiculo utebatur imaginibus. Nullum librum, nisi quo uteretur, ut cubiculo sustinebat. *Vita.*

S. Franciscus Borgia instar boni negotiatoris, inventa hæc pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam. Dedicaret, persuasumque habebat, verum esse illud oraculum, pauperes spiritu beatos fore. S. Franciscum Assisium ut nomine, sic est moribus referre cepit. Propiam illius familiæ inopiam admirandus adamavit, et simul atque se Societati votis obstrinxit, pecuniam exinde non contrectavit. Itinera ingressus adduci nunquam potuit, ut vel syndonem mundani valetudinis causa, circumferre comite pateretur, ne quid in paupertatis jura peccaret. Sago in itinere aut chlamyde non alia usus, sive hiberni, sive æstivi temporis hora esset, quam pallio quotidiano, quod invertere, duplicareque solebat, ne luto inquinatum deterius fieret. Petasuntum uno satis aiebat esse, arcendis coli injuriis, sive sol arderet, sive imber decideret, ventique flarent. Ocreas pedibus ut induceret, impetrari ab eo non poterat. De lectulo nihil laborabat, nullum velum aut peripetasmata appendi in hospitio permittebat, id genus commoda fugienda prædicans, quod mortis germanus somnus appellaretur; sitot vero in sepulchro brevis urna caperet, minimeque sumptuosa. *Vita, l. IV, c. II.*

P. Petrus Faber cum ei aliquando repentina quædam in animo cogitatio futuræ suis in adibus egestatis occurreret, statim decrivit, quotannis se omnibus rebus, quæ præsentem ad victum et cultum pertinerent, penitus exuere, nihil ut se spoliatus, nihil egentis esset. *Hist. soc., p. I, tom. III, n. 34.*

P. Baltassar Alvarez horrebat res curiosas etiam piæ secum gestare, eo quod hujusmodi rebus cor Religiosi nimium adhaerescat. Exhortationes suas non in munda charta sed in operculis litterarum scribebat. Maluit aliquot passus impendere eundo in Bibliothecam, quam apud se Concordantiam habere, ut paupertatem magis coleret. *Vit., c. I, § 2.*

P. Sebastianus Barrada diu nullum habuit librum ad manum, nisi S. Scripturam et Concordantiam, ita ut P. Suarez miraculi loco esse dixerit, tales ab ipso libros in tanta librorum penuria, et studiorum incommoditate editos esse. Commentationes multas tantum in tergo Epistolarum scripsit.

PAUPERTAS IN VESTITU. — S. Ignatius initio suæ conversationis talarem ex canabina tela aspera et aculeata in modum sacci tunicam tulit, fune pro cingulo usus, calceos ex sparto contextos, et ad aquæ usum incurbitam habuit. *Vit., l. I, c.*

S. Franciscus Xaverius tunica canabina, more pauperum Sacerdotum, rejecta undulata, quæ offerebatur, se induit. Adduci non potuit, ut calceos novos lacrorum, et detritorum loco substitueret. *Vit., l. X, c. III.*

S. Franciscus Borgia calceos novos induere detrectabat, biennio vix atterens. Calceas item licet pannosas ruptasque haberet, non mutabat. Montellano in Collegio versanti femoralia nova muneri oblata cum socius noctu lectulo apposuisset, experrectus Franciscus, notata fraude, vetera repetiit, novaque reddi jussit. *Vit., l. X, c. II.*

P. Claudius Jains in usu Magnatum detrito semper vilium cultu utebatur. *Hist. soc., l. XII, n. 36.*

P. Sebastianus Barrada vilem vestitum suas delicias vocabat. *Vit., itin. præfix.*

P. Thomas Sanchez nunquam nisi in ex obedientia vestibus novis induebatur. Galeus ejus tam detritus erat, ut prope alium effectus sit. *Anno 1670, Col. Gran.*

P. Everardus Mercurianus quartus Generalis, tantus erat paupertatis amator, ut aliquando lacrymarum propemodum visus sit